DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

1184 b 9
8

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDMUNDUS FOUCAULT,

GALLUS;

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Cold tremors come, with mighty love of reſt,
Convulſive yawning, laſſitude, and pains,
That ſting the burden'd brows, fatigue the loins,
And rack the joints, and ev'ry torpid limb,
Then parched heat ſucceeds, till copious ſweats
O'erflow, a ſhort relief from former ills.——ARMSTRONG.

Ad diem 25 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1798.

43.
10. 10.
258.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO,

D. D.

LUDORICO MATHIÆ,

DE BARRAL,

EPISCOPO TRECENSI,

OBSEQUII ET REVERENTIÆ PIGNUS.

HOC OPUSCULUM

D. D.

AUCTOR.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO,

D. D.

LUDOVICO MATHIA,

DE BARRAL,

EPISCOPO TRECENSI,

OBSEQUII ET REVERENTIÆ PIGNUS,

HOC OPUSCULUM

D. D.

AUCTOR.

ERRATUM.

Pag. 19. lin. 11.—*pro* auctissimos, *lege* acutissimos.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

AUCTORE EDMUNDO FOUCAULT.

PHILOSOPHUS quidam dicere amabat, virum medicum meliùs publicæ ſaluti conſulturum, ſi ad eos tantummodo morbos ſanandos ſe accingeret, quos ipſe jam fuiſſet perpeſſus.

Quid amari habeat mala valetudo ſemel tantum expertus ſum, dùm atrociſſimâ laborabam

intermittente febri, (quartana erat), quæ me per novem menſes doloribus tormentiſque omnimodis agitavit torſitque.

Ut autem quantùm penès me eſt, bono Socrati morem geram, de eo ſcribam morbo, quo ipſemet plexus fui.

Pauca, igitur, de intermittentium definitione, hiſtoriâ, cauſis, prognoſi, et ratione quâ curentur, dicam.

DEFINITIO.

Cullenus, noſologorum facile princeps, perſpicuum et concinnum intermittentium characterem pro more ſuo ſic tradidit :

" Febres miaſmate paludum ortæ, paroxyſmis

"pluribus, apyrexia, saltem remissione evidente in-
"terposità, cum acerbatione notabili, et plerum-
"que cum horrore redeuntibus, constantes pa-
"roxysmo quovis die unico tantùm."

Si proferantur intermittentes quædam, quæ uno tantùm constiterint paroxysmo, quia vel primus febricitantem internecavit, aut quorum paroxysmi de die duplicati fuerint; rara admodum exempla, quæ nihil de hujus definitionis laude detrahunt.

Rectiùs, ut opinor, CULLENUS eâdem definitione intermittentes et remittentes febres complectitur, quæ ejusdem generis varietates solummodo esse videntur.

Si vero alii nosologi contendant morbos suis symptomatibus constare et nosci, illis toto animo assentimur; sed de verbis tantum disputatio instituitur: ut enim verbis Culleni utar: "Remitten-

" tes quæ dicuntur, ex eodem principio, miaſmate
" nempe paludum, ac intermittentes oriuntur, iiſ-
" dem in locis et eodem anni tempore, utraque ſi-
" mul epidemicè graſſatur; utraque iiſdem prorſus
" remediis ſanatur; et ſæpiſſime in eodem homine
" idem, qui videtur, morbus nùnc intermittentis
" nunc remittentis typum exhibet. Morbi id-
" circo cauſis, ſanatione, et typo ſimillimi, nec
" ad ordinem, nec ad ſectionem diverſam diſtra-
" hendi erant."

Intermittentes variis appellantur nominibus, tertianæ, quartanæ, quotidianæ dictæ, pro temporis intervallo quo recurrunt.

Non plurima quintanæ, ſextanæ, aut majoris intervalli febrium exempla.

Boerhaavius teſtatur ſe exquiſitam ſeptenariam vidiſſe. Plinius etiam memoriæ tradidit hiſtoriam febris quæ, anno quoque recurrens, poetæ cujuſdam

juſdam, qui Tullii florebat tempore, natalitia ſolemni paroxyſmo inſigniebat, et eum tandem jam ætate provectum vitâ orbavit, eo ipſo die quo vitales auras carpere cœperat.

HISTORIA MORBI.

Tria ſtadia ex quibus paroxyſmus quiſque febris intermittentis conſtat, et variæ, ſive quæ ſingulis propriæ, ſive quæ tribus ſtadiis communes ſunt functionum læſiones et manifeſtæ corporis conditiones tam clarè, diſtinctè, accuratèque a variis medicis ſcriptoribus deſcriptæ ſunt, ut longè ſatiús feciſſe mihi videri videar, ſi ea penitus ſilentio præteream.

Illa, igitur, tantummodo leviter attingam ſymptomata, quæ abnormes et quaſi mancas quaſdam intermittentes

intermittentes comitantur, quorum equidem magnam partem ſum expertus.

Verumenimvero, non ita ſibi conſtant ſymptomata, ut ſemper frigus calor excipiat, ſudori ipſe locum daturus. Meritò enim a ſcriptore clariſſimo obſervatum eſt, non duos dari morbos, quantùmvis a ſe diverſos, qui magis hic ab illo, quam intermittens ab intermittente, diſcrepent.

Aliquando tremore nullo, nullo frigore laceſſitur febricitans; jam leviſſimus tantùm adeſt frigoris ſenſus; jam coma aut ſtupor ſola febrem incuſant; jam ſolo ſudore præſens innoteſcit.

Hoc ipſe ego expertus, meque febri perfunctum ratus, nihil ſuſpicabar mali ex ſudoribus qui, tertiâ quâque nocte, apertis ubique vaſculorum oſtiis, ruebant. Dicebant enim vetulæ quædam febrem cum iis penitus exhalari.

Sæpe

Sæpe sæpius phrenitim, ophthalmiam, interitim, nephritim, &c. proteiformis mentietur, non nisi statutis intervallis recurrens detegenda. Aliquando, solitæ immemor horæ, vel ante vel post assuetum tempus recurret; nunc remittentis, nunc etiam continuæ febris typum æmulabitur.

Hinc illa Sydenhami, in suo de intermittentibus libello, admonitio: "Observandum est etiam, "quod in principio febrium intermittentium (epi- "demicorum præcipuè, quæ autumno contin- "gunt), haud ita in proclivi est typum sub pri- "mis diebus invasionis ritè distinguere; quan- "doquidem, febri continuâ adscitâ, primùm a- "doriuntur; neque facile est aliquandiù, nisi "diligentèr adverteris animum, quidquam aliud "præter aliqualem morbi remissionem deprehen- "dere, quæ tamen paulatim in perfectam defi- "nit intermissionem et typum, anni tempestati "aptè respondentem."

Hìc

Hìc fortaſſe locus foret ſymptomatum rationem reddendi; quorundam tam clara, tam obvia, ut nemo eam non videat; quorundam vero tam obſcura, ut me muneri prorſus imparem profitear: Cur frigus tragediam plerumque incipiat, cur ſtatutis horâ et die morbus recurrat, dicant ſolertiores.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cauſarum, unde intermittens febris enaſcitur, genera duo; alterum eas complectitur quæ proclive ad morbum corpus faciunt; alterum eas quæ proclivi facto corpori admotæ morbum excitant. Quæ illo genere continentur *prædiſponentes*, quæ autem hoc, *excitantes* dicuntur.

GENUS

GENUS PRIMUM.

Ætas. Nulla ætas, quæ ſe intermittentium immunem gloriari poſſit: qui tamen mediam ætatem agunt præ ſenibus infantibusque plectuntur intermittente.

Regio. Cœlum ipſum ſub quo degunt homines eos vel morbo opportunos vel ejuſdem expertes facit; ſi eſt calidius juſto, maxima erit febrium ad intermittendum proclivitas: quæ quidem tanta eſt, ut, ſi in frigidioribus terræ plagis calidarum incolæ continuis febribus corripiantur, eaſdem plus minuſve ad intermittendum pronas eſſe, obſervandum erit.

Intermittentes in frigidis regionibus raræ apparent; quique homines ex iiſdem ad calidiores

domum migrant continuarum typo magis afficiuntur.

Habitus. Qui jam pridèm intermittente laboraverunt ita huic morbo opportuni fiunt, ut, vel leviſſimis datis cauſis, ab eo iterum iterumque corripiantur ; neque ipſam quartanam, quicquid de hac re tradiderit vir clariſſimus, ab illâ proclivitate immunem eſſe affirmare vellem. Jam enìm novem elapſi ſunt anni poſtquàm ab atrociſſimâ quartanâ convalui, ſi tamen longìus in noctem vigilia protraxerim, aut quocumque modo ab aſſuetâ vivendi normâ receſſerim, ſtatim ingruit ſenſus ille, verbis deſcribendus nullis, quem paroxyſmorum prænuntium bene memini. Quid fieret ſi monito obedire recuſarem, non novi : neque, fateor, tanta eſt mihi noſcendi cupido ut, ad rem experimento explorandam, libens me accingam.

Anni ætas. Quamvis omne anni tempus ſit intermittentibus

termittentibus obnoxium, autumnali tamen et vernali tempore ſæpiùs oriuntur. An corpus anni tempeſtate magis opportunum fit? An ſolummodo augentur excitantes cauſæ? Magis Gregorio noſtro arridere videtur poſterior ſententia.

Cibus. Cum motu omni partes ſolidæ terantur, brevi homo periret, niſi idoneo cibo reficeretur, novumque inde vigorem perciperet. Porro, ſi cibus prorſùs fluidus, tenuis, aut concoctu difficilis, aut copiâ parcus ſumptus, neque benè alit nec reficit, innumeris quæ nos circumveniunt periculis inerme, iiſque repellendis impar ſubjaceat corpus oportet.

Hinc obvia ſanè ratio, cur pauperes, quorum res auguſtæ domi cibum, neque naturâ, neque, eheu! ſæpe ſæpius copiâ idoneum ſuppeditant, magis quam divites intermittentibus aliiſque bene multis morbis ſint opportuni; neque tamen

eas ſemper effugient locupletes, luxuriæ ſuæ pœnas daturi.

Animi pathemata. Quantum varii animi affectus ſive ad roborandam, ſive ad debilitandam humanam compaginem valeant, nemo non novit.

Verum enimvero, tanta corpus inter et animum intercedit conſuetudo et quaſi amicitia, ut hic facilè affici non poſſit, quin illud etiam mirum in modum afficiatur. Illos præſertim affectus, qui diſtinctionis cauſâ inter medicos *deprimentes* dicuntur, vi maximâ ad homines intermittentibus obnoxios faciendos pollere, nemo certè inficias ibit.

Innumera nobis tradita ſunt exempla hominum, quos animi anxietas, metus, terror, horror, ita in hunc morbum proclives fecerunt, ut ea ſola intermittentem excitaſſe quodam modo videantur.

Non

Non nos latet plurimos et maximi nominis medicos ſcriptores quaſdam, ex iis cauſis, quos *prædiſponentes* dicimus, inter *excitantes* annumerare: ne tamen eorum opinionem amplectamur, hâc potiſſimum ratione deterremur; nam ſi, ut a quibuſdam contenditur, animi pathemata, aut prava vivendi ratio, ad intermittentes procreandas ſola valerent, cur non ubique terrarum effectum ſuum habent? Interèa vero ità quibuſdam regionibus circumſcriptæ ſunt intermittentes, ut vel nunquam extra poſitos limites obrumpant, vel ſi forſan abrupiſſe videantur, eaſdem extraneas fere ſemper ſedula incuſabit inquiſitio.

Cl. GREGORIUS in ſuis prælectionibus academicis teſtatur, ſe, cum febricitantes in noſocomio Edinenſi de origine intermittentium quibus laborabant percontatus fuerit, ſæpiſſimè detexiſſe eaſdem a paludoſis Angliæ partibus ortas fuiſſe.

Si vero proferantur exempla intermittentium

quæ

quæ a terrore, &c. originem ſuam duxerint, ita ſunt dubia, ita numero pauca, ut nullam ad mutandam mentem noſtram vim habeant.

GENUS ALTERUM.

Diligentes recentiorum medicorum obſervationes extra dubii aleam poſuerunt, intermittentes à paludum miaſmatibus naſci. Enimvero tanta adeſt intermittentes inter et miaſmata paludum connexio et, ut ita dicam, affinitas, ut illæ vix unquam furere reperiantur, niſi in paludoſis humidiſque regionibus, quæ apertè, quæ ſit earum origo, oſtendunt.

Cum ita ſe res habeat, mirum profecto videbitur tot elapſa fuiſſe ſecula, antequam viri eximii ingenioque nobiliſſimi, qui variis temporibus intermittentium cauſas indefeſſo ſtudio proſecuti

ſunt,

ſunt, aliquid ex profeſſo de paludibus differuerint.

Lanciſci enim princeps videtur inter eos qui ad paludes animum attenderunt. Sylvius de Boe et Sydenhamius non parvam vim ad intermittentes procreandas iiſdem ineſſe docebant. Stahalius, Boerhaavius rem ne ſuſpicati quidem fuiſſe reperiuntur.

Jam vero, etſi apud medicos pleroſque nunc opinio prævaleat, paludum miaſmata ſolam, aut ſaltem præcipuam, eſſe intermittentium cauſam, non ita tamen ſecum conſentiunt, quânam ſibi propriâ virtute paludes hunc morbum excitent.

Poſtquam recentiorum inventis chemia ad majorem dignitatem provecta fuit, res eſt nulla cujus viri chemici, chemicis principiis rationem reddere non ſuſceperint.

Aſſeruerunt

Asseruerunt itaque vim illam pendere ab aëre quodam quem hydro-carbonatum nomine nuncupaverunt.

Cum enim observarent paludes illas quæ, altâ minùs quàm decet aquarum mole, magnam hujusce aëris vim evolvunt, etiam *tabi febrilis* esse pleniſſimas inde hunc aërem ipsum *febrile tabum*, esse sibi finxerunt.

Non firmo admodum fundamento nititur ista opinio; eadem enim rerum adjuncta, quibus hydro-carbonatus aër evolvitur, alia quoque evolvunt principia quæ ipsa æquo jure *febrile tabum* dici possent.

Præterèa in suæ opinionis probationem, aëris istius naturam adducunt quæ maximè ponderosa est. Constat enim eos, qui inferiores domorum partes incolunt, sæpe sæpius intermittentibus plecti,

plecti, dum qui altiora tenent nonnunquam penitus morbum effugiunt.

Nunc vero inſtituta ſunt a Doctore Beddoes ejuſque familiaribus experimenta quæ non nihil de hujus doctrinæ auctoritate detrahere videntur. Illis enim experimentis patet, hydro-carbonatum aërem, ſaltem ſi ſolus adhibeatur, nunquam intermittentes eſſe inducturum. Nam, Doctore ſuadente, quidam hanc animam intùs inhalavere nihilque intermittenti ſimile experti ſunt. Ita eam cum atmoſpherico aëre vir diligentiſſimus miſcuit, ut vertigini, nauſeæ, aliiſque hujuſmodi ſymptomatibus locus daretur, neque tamen intermittens ex iis emerſit.

Si vero contendatur, particulas illas ſuum non habituras effectum, niſi cum per longum tempus corpori humano vim denunciaverint, in promptu habemus quod reſpondeamus. Aliquando tanto impetu in homines irruerunt miaſmata palu-

dum, ut fulminis inſtar effectum ſuum ediderint. A Pringle narratur, milites quoſdam, cum per ſtagnantis aquæ ripas vicinam civitatem peterent, tàm ſubito ab intermittentibus correptos fuiſſe, ut nonnulli ultra progredi nullo modo potuiſſent.

Quid plura? idem Doctor Beddoes ita hydrocarbonatam vim communi aëre diluit, ut per longum tempus ſorberetur; nihilque inde mali ſorbentes cepiſſe reperies.

Dicamne aërem illum ad intermittentes excitandas nihil valere? Non ita profecto: non ignobiles fortaſſe partes agit; hoc autem fixum immotumque animo hæret; hydro-carbonatam animam *potentiæ nocivæ* partem tantùm eſſe, vimque nullam habere ad morbum inducendum, niſi mixta conjunctaque fuerit cum alterâ quâdam ſubtiliſſimâ materiâ, quæ ipſa ex paludibus oritur,

tur, cujuſque natura ad hunc uſque diem philoſophorum inveſtigationes effugit.

CAUSA PROXIMA.

A divini Hippocratis tempore ad noſtram uſque ætatem, variæ a variis medicis ſcriptoribus de proximâ intermittentium cauſâ prolatæ ſunt hypotheſes; neque facile invenies virum alicujus in re medicâ nominis qui ſuam de hac re opinionem non in medium protulerit.

Hoc tamen fatendum eſt, viros illos ingenio auctiſſimos feliciori minervâ ad aliorum hypotheſes evertandas, quam ad ſuas ſtabiliendas, ſcripſiſſe. Poſt tot tantorumque virorum molimina incaſſoſque labores, hùc tandem devenimus ut *proximam intermittentium cauſam* non ineptè atrâ caligine merſam dicamus.

Si quis vero, quænam de hâc re opinio nobis veri ſimilior videatur, expoſtulaverit, reſpondebimus nos non ita alienos eſſe ab eorum doctrinâ qui proximam intermittentium cauſam in morbidâ aliquâ, non quidem bene intellectâ, vitalis principii conditione poſuerunt.

Vitale enim principium morbi ſedem eſſe multa, ſive quæ ad ipſius ſymptomata, ſive quæ ad ejuſdem medelam pertinent, ſuadere videntur.

Suadet maxima virium proſtratio; ſuadet etiam languor ille, torpor, et imbecillitas animi, quæ paroxyſmum vel præeunt, vel comitantur. Tanta eſt enim animi de rebus externis incuria, ut ipſas corporis conditiones non percipiat; jam inſciâ mente, frigore algeſcit corpus; jam, dum reverâ corpus calet, frigoris ſenſum animus percipit. Nam bilis vel flava vel nigra, phlegma, obſtructus pancreaticus ductus, ſanguis ſpiſſus, craſſus,

craſſus, lentuſque factus, aut etiam viſcerum læ-ſiones non facile nodum ſolvent.

De viſcerum vero læſionibus quæ ſæpe cultello anatomico detectæ fuerunt, obſervandum eſt, eas non reperiri niſi cum longo pertinacique morbo concuſſa debilitataque tandem corruerit humana compages; proindèque non intermittentium cauſam, ſed effectum rectiùs appellari.

Quæ etiam ad medelam pertinent hanc doctrinam apprimè confirmant.

Horror, terror, ſpes, fiducia, aliique animi affectus non nihil ad intermittentes fugandas contuliſſe referuntur. Non perſpicua certè neque clara admodùm ratio cur vocabulum *Abradabra* et alia bene multa ejuſdem farinæ, quorum ope quidam ab intermittentibus convaluere; latitantem morbificam materiam expellant; ſiquis autem ſuſpicatur arcana ſolemniaque quibuſcum res

illæ

illæ ægrotantibus porrigebantur, ab iiſque ſorbebantur, vim aliquam ad febricitantis animum movendum concutiendumque habuiſſe, eum profecto non Œdipum dicam. " Neque ſane," ait ſcriptor celeberrimus, " alia eſt ratio multarum " ſanationum quæ vulgo jactantur et ferè pro mi- " raculis habentur, et remediis quibuſdam tribu- " untur ſecretis atque ignotis : hæc autem poſt- " quam primúm deteguntur, priſtinas excellen- " tias haud raro amittunt, et ſæpe inutilia inter- " dum nocentia reperiuntur ; ita ut minimè cre- " dibile ſit ea unquam ægrotantibus profuiſſe, " quantumvis eorum ſpes et fiducia profuiſſet.

Quæ ſit autem illa conditio non liquet. Ne illuſtriſſimi quondam hujuſce academiæ profeſſoris veſtigia prementes *atoniæ* et debilitati cuidam rem adſcribamus, multa vetant. Vetat ille nimius, ut aiunt, renixus, qui ſæpenumero, præſertim in vernalibus, venæſectione aliiſque evacuantibus debellandus eſt, antequam febris ipſa

iis

iis remediis, quæ ad eam removendam maxime valent, debelletur.

Verumenimvero, ſi debilitas prima mali fons et origo foret, cur non ſemper, datâ debilitate, febris oritur? cur in apoplexiâ, hemiplegiâ, paralyſi, ſaltem in membris reſolutis, in quibus vim nerveam languere nemo ignorat, tam raro febris obſervatur? cur, nondum ſublatâ, imo etiam ita auctâ debilitate, ut Syncope oriatur, ſæpenumero febris tollitur? cur denique unquam tollitur febris? quo enim vetuſtior morbus eo major debilitas; nam vim acquirit eundo. Vix enim medicamenta tantùm ad debilitatem ſublevandam quantùm morbus ad eamdem augendam pollere reperientur. Quid dicam de inediâ, aquosâ latinorum diætâ, vel etiam de arſenico, feliciter â nuperis ad intermittentes fugandas, uſurpato.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Vernales tantulùm periculi habent, " Ut," ait Sydenhamus, vel maximè ſenex vel debilis quiſpiam " officioſſimâ damnoſiſſimâque imperitiſſimi περιεργια, modo is probus fuerit, e medio vix tolli queat; ita ut eas valetudini favere eidemque quaſi curam dare nonnulli exiſtimaverint. Hinc apud Anglos in proverbium ceſſit, *an ague in the ſpring is phyſic for a King.*

Non ita vero innocua eſt intermittens autumnalis; ſi enim pravo corporis habitu præditos aut annis provectos afficiat, eos paucis adhuc paroxyſmis mulctatos aliquando jugulabit, vel niſi principiis obſtiteris multorum graviſſimorumque ſymptomatum quaſi mater erit. Scorbutum ventrem induratum, aquam inter cutem ſpeciem quamdam

quamdam maniæ in infantibus rachitidem peperisse fertur.

RATIO MEDENDI.

Tanta in laude a quibusdam febres ponebantur, ut vim illis unquam inferre nefas esse ducerent; rebantur enim febres salutarem esse naturæ conatum quo ad *impuros*, *crudos*, *superfluos*, *stagnantes humores subigendos*, *coquendos*, *attenuendos*, *movendos*, *excernendos* moliretur.

Quidquid vero de febrium salubritate, Hippocrates, Galenus, Cornelius Celsus tradiderint, cum illis sensisse non videtur vulgus Græcorum et Latinorum, si qua fides detur Valerio Maximo, qui, de templis, quæ Febri sacra erant, verba faciens, ait: "Cæteros quidem *deos* ad benefaciendum "venerabantur; febrem autem ad minus noxen-"dum templis colebant.

Neque desunt etiam hodierna die viri incrementis, quibus rem medicam ornaverunt locupletaveruntque, nobilissimi, qui hanc de febrium salubritate doctrinam defendant, aut saltem doceant hoc ante omnia cavendum esse, ne "præmaturè nimis cortex peruvianus ingeratur, ante "scilicet quam morbus se suo marte aliquantis- "per protriverit."

Ne tamen tantorum virorum auctoritas ad febres debellandas segniores nos faciat, præcaverunt recentiores clariſſimi Monro, Lind, Clark, Pringle, Millar, quorum sedulæ observationes effecerunt ut de intermittentibus affirmare non dubitemus, quod jure et merito de aliis morbis semper affirmatum est,

"Principiis obsta; sero medicina paratur,
"Cum mala per longas invaluere moras."

Millar fatetur se cum primum artem Hippocraticam

craticam exercere inciperet, cautum nimis fuiſſe ne præmaturè cortice peruviano uteretur: "but," ait ille, "having obſerved in many in-"ſtances a ſudden tranſition from ſlight ſymp-"toms to a fatal termination, I was at length in-"duced to preſcribe bark without regard to a re-"miſſion, in every fever which was not accompa-"nied with evident ſigns of local inflammation; "and after having uſed it in this manner for ſe-"veral years in the courſe of a very extenſive "practice, I have been fully convinced of its va-"lue, and of the futility of the arguments by "which it has been condemned."

Novemdecim febrium caſus inter ſe confert, quibus robur novum et auctoritas quam maxima, doctrinæ quam tuetur, adduntur.

Lind certiores nos facit icterum aquam intercutem fœdaque alia ſymptomata quæ nonnunquam intermittentes ſequuntur non ab intermit-

tente

tente præmaturiùs remotâ, ſed ab eâdem ſegniùs, quam decet, debellatâ, oriri.

Non negabimus morbos quoſdam, præſertìm qui ad neuroſes pertinent, apoplexiam, paralyſin epilepſiam, convulſiones imoet obſtructiones, cum remediis nullis, nullis medicamentis removeri potuiſſent, ab intermittente aliquando remotos fuiſſe.

Swietenius mentionem facit de ictero quodam qui, cum medicamentorum omnium vim ſuſtinuiſſet, ab intermittente tandem in fugam verſus fuit.

Siquis igitur aliquo ex illis morbis laborans ab intermittente corripiatur melius fortaſſe ſibi conſulet, ſi cunctator, quid inde levaminis recipere poſſit, tentaverit, quam ſi febris impatiens primo morbi exordio cortice peruviano veſcatur.

Nulla

Nulla mens eſt mihi omnia remedia hic enumerandi, quæ vario tempore ad febres fugandas fuere uſurpata. Multa etiam nunc inter amara et adſtringentia maximis laudibus extolluntur; iis tamen omnibus longè præcellere videtur cortex peruvianus; an quia aliquid amari et adſtringentis ſimul habeat, an quia polleat ſibi propriâ peculiarique virtute, adhuc ſub judice lis eſt.

Medici monere ſolent paludum accolas ut, ſi ab intermittentibus convaleſcere velint, locum mutent, ne forſan cortex ipſe peruvianus ſpem eorum expectationem fallat. Præclara admodum et perutilis admonitio! vix enim vir ſanus morbum removere ſuſcipiet, niſi prius excitantes cauſas removerit. Rem autèm ſe aliquando aliter habituram meâ experientiâ compertum habeo. Non enim prius a quartanâ, de quâ jam antèa dixi, convalui, quam locum in quo febricitare inceperam iterum petiiſſem.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA

DE

DYSPEPSIA